



*De natura, & proprietatibus partium discursus persuasorij. §. 5.*

**T**H E M A, seu propositio quæstionis, quæ statim fit clare, & distinctè, vel in progressu de ipso Euangelio excitatur, vel ex diuisione in exordio facta resultauit; generatim proponatur, non enucleata omni rei substantia: nam sic audiens se præbet attentum, & cum auditate explicationem expectat; sicut si suadere vult audiendum esse verbum Dei, sic propositionem excitabit: *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

O tremenda verba! ô fulmen à prærupta nube Euangelij cum horrendo fragore quasi ruentis ætheris in caput peccatoris iaculatum! Quis mortalium vocem istam tonantis verbi Dei non perhorrescit? in his enim verbis salutis signa, & damnationis indicia non obscura continentur, audite; tunc discursum à capite incipiat, & ab omnibus suis partibus se expediat, vt passim in quouis discursu nostro videre licebit.

DECLARATIO doctrinæ id exigit, vt si quid



tor, se, quamque concionem Deo deuoteat: ne enim fiet, tum vt studium in eas res dicendas conferat, quas pro captu, & necessitate auditorum conquisiuit, excitans in se motus, quos excitare in auditoribus intendit: tum etiam hoc fine proposito etiam non premeditata eloquentia optima erit; numquam enim vehementi affectui etiam in rusticis hominibus verba defunt.

Post hæc autem compositio (quam vocant) loci, siue viua apprehensio loci, in quo mysterium vel meditandum, vel res effingenda est, quam auditoribus conatur representare, quæ tacite, & quasi obiter sic res ante oculos obiciat actione, gestu, & verbis, vt auditores quasi præsentibus cogat adesse Hierosolymæ, vel templo maximo, vel Caluarie loco, vbi illud mysterium peractum est: quæ res tanti momenti est, vt sicut mortem meditantes, post compositionem moribundi, qui lecto decumbit morti proximus, qui panis sensibus, amicis, medico derelictus extremum edit spiritum, & cadauer iam sandapila vestitum feretro imponitur, pullati veniunt, vt vsque ad fossam funus cohonestent: hæc sola loci, & personarum visione, quam cogitatione depinxerunt, præcipue his, quibus vis cogitationis acris, & vehemens inest: sola, inquam, hæc cogitatione terrentur, persuadentur, & variè afficiuntur. Sic etiam valde iuuat historiam, locum, resque ita significanter ore, gestuque depingere, vt si inibi essent, & ab omnibus inspectari possent, quasi præsentibus.

Atque hinc rursus ex hac representatione oritur petitio, quæ statim adiicienda est, nempe vt id postulem, quod exopto, iuxta propositæ contemplationis argumentum, si de resurrectione lætiam, si de passione lacrymas, pœnas, & angores. Similiter in concione proposita historia statim elucet, quidnam illud sit, quod persuadere oportet: id ergo dicendum, statuendum, & viriliter proponendum, & eo se animo venisse, vt vincens vincat: sic enim auditor incipit vel affici, vel saltem eò cogitationem dirigere, & clauum perspicere, in

quædam res. suos: licet enim oratoris interest tegere artem, & retia verbi Dei; tamen scopum orationis proponere veritatis dignitas, & auditoris vtilitas est, cui persuadere contendo, non imponere, à statu suo deicere; non verò supplantare, & fallere.

Sequitur iam historie meditatio, in qua quidem exequenda, & dilatanda, hic modus à nobis infra scriptus obseruari poterit, ita vt vel vnam rem tota concione, & integra persuasionem obtinere intendam, vel sapius in eadem concione persuadendi partes peragam, vel saltem punctum vltimum concionis, in quo victoria est, & vberior fructus, integra persuasionem concludam. Non enim est concionatoris varias doctrinas afferre, diuersas voces Euangelij sine fructu expendere, quasi duos insequens lepores neutrum capiens: inde enim concio, & libri concionibus referti fiunt veluti campus ille, quem fuit Ezechiel contemplatus, plenum ossibus disiectis, & diuisis, in quæ nisi spiritus intrasset, arida, & mortua omnino iacuisent; in his etiam iacent conceptus mortui, & quasi cadauera, quæ si spiritus non animet, & viuidos reddat, & illos dirigat ad propositum scopum (qui quidem persuasio est, & commotio animorum) frigidus discedit auditor, friget oratio, munusque susceptum, conceptum, quem arripit, quasi mortuum excitet, erigat, brachia sustentet, vt spiritu, & vita ad propositum persuasionis finem moueatur, armetur, hastam sumat, & impium confodiat, hoc est meditari, hoc item concionari.

Et sicut in oratione colloquium subiicimus, vt docet B. P. Ignatius exquisitis studiosè verbis: diuinas enim personas non licet alloqui verbis qualibuscunque; sic in concionis colloquiis talia verba subiicimus, quæ Deo digna sint, & apta, vt afficiantur audientes;

vel amore, vel commiseratione tandem ad id, quod suadet, etiam media ad finem consequendum afferat.

De

Museo Municipal  
de Madrid

n.º 14583

Ayuntamiento de Madrid